

† R. P. Gulielmus Byrne (1878-1952)

(Prov. Australasiae)

Reverendi P. Gulielmi Byrne Provincia Australasia luget mortem, missionarii intrepidi, superioris affabilis, religiosi fervidi, confratris hilaris. Accepturus coronam a S. Alfonso promissam evolavit e vita die 3 Decembris 1952, festo S. Francisci Xaverii, Regionis Australasiae Patroni. Natus Wangaratta, Victoria, anno 1878, professus anno 1904, sacerdotio auctus fuit anno 1909 in Hibernia, ubi studia ecclesiastica complevit.

Inter priores Redemptoristas Australianos, qui in Insulis Philippinis laboraverunt, P. Byrne 18 annos in illa perdifficili regione transegit, eo laboriosiores, quod tunc temporis maxima sacerdotum penuria obtinebat ob coactum, saeculo vertente, missionariorum Hispanorum discessum ratione eventuum politicorum. Nemo, nisi personali experientia fretus, difficultates illius vitae missionalis concipere potest: populus catholicus quidem, sed rudis et pauperrimus, lingua intricatissima, aestus continuus ac humidus, ob quem aestum corpus semper sudore manat et vires debilitantur. Praeter constitutionem physicam missionarium illic indomitabili voluntate oportet ornari. Quam certe P. Gulielmus Byrne possedit.

Ante foundationem domuum ex ipsa Provincia Australasiae collegia nostra in P. I. partem Provinciae Hibernicae formaverunt. P. Byrne delineavit formam collegii nostri Cebu, ita temperiei et loci exigentiis adaptatam ut postea tamquam archetypus aliorum aedificiorum tum religiosorum tum civilium inserviret.

Anno 1930 P. Byrne nominatus fuit Superior Provincialis, primus Australianus huic muneri ita electus. Eo gubernante Provincia tum sodalibus tum domibus profecit. Inter alia ipse fundavit collegium Baclaran, Manila, P.I., ubi nunc prodigiosa Novena Perpetua B.V.M. de Perpetuo Succursu floret.

Anno 1936 transfretavit oceanos Capitulum Generale participatum. Hac occasione potuit, prima et ultima vice, invisere suam caram sororem, quae, quadraginta annos antea, Congregationem *des Petites Soeurs des Pauvres* ingressa, e patria et familia discesserat. Ipsa vixit in domo suae Congregationis iuxta *San Pietro in Vincoli*, Roma, ubi anno 1949 pia morte occubuit.

Munus Provincialis P. Byrne anno 1939 deposuit et iterum vitam missionariam incepit, sed in patria solum, usque ad annum 1951. Tunc, ob vires debilitatas, incapax ad missiones devenit, tamen superioribus suis persuasit ut in exercitiis spiritualibus et auxiliis die dominica praebendis in vicinis paroeciis occuparetur.

Cardiaco morbo affectus paenultimo anno ante mortem, P. Byrne numquam querelas effudit, numquam nisi ex obedientia dispensationes a vita regulari adhibere voluit. Ultimis diebus infirmitatis a fideli fratre laico curatus, praebuit — sic frater et alii affirmaverunt — permulta exempla patientiae, pietatis virtutumque sacerdotalium. « Sicut vixit, sic mortuus est » in eo verificatum est. P. Byrne mortem amplexus est eadem tranquillitate, qua omnibus difficultatibus in vita

obviam ierat. Numquam deimonstravit pietatem exaggeratam, nec voluit nec ita se gessit ut ab aliis tamquam sanctior forsā videretur. At virtus eius celari non potuit. Non potuit non elucere evidens eius recollectio, constans oratio, amor Congregationis, fervens desiderium Missae litandae, aut saltem Eucharistiae sumendae; ita ut nos, eius confratres, ex imo corde orare possimus: Utinam nostra vita et mors consimiles sint vitae mortique P. Gulielmi Byrne: R.I.P.

EDMUNDUS DUNNE
